Wilczek Danielis: Panegyricus ad Illmum D. Andr. Trzebnicki, Archiep. Leopol.

PANEGYRICVS.

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM PATREM AC DOMINVM. D. ANDREAM PROCHNICKI, ARCHIEPISCOPVM LEOPOLIENSEM &c.

DANIELIS WILCZEK:
Artium liberalium & Philosophiæ in Academia Cracouiensi Baccalaurei.

CRACOVIÆ.
In Officina Lobij. Anno Domini,
1614.



Si clypeos, hastasq; , potens Gradiue, superbis
Laudibus extollis, dum fera bella moues.
Si tibi Threiciæ parmæ, Lyciæq; sagittæ,
Si lorica trilix, ensis, & ægis, amor.
Si sunt delitijs peltæ, fortesq; secures:
Sunt gerræ Siculæ, fabulæ, suntq; nugæ.
Quàm meliora gerit PRÆSVL PROCHNICIVS arma:
Flumine ab hoc triplici schismata mersa, cadunt.

PANEGYRICVS.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO, D. ANDREÆ PROCHNICKI. ARCHIEPISCOPO LEOPOLIEN:

GRande omninò, humeriſq́; meis impar onus mihi videor ſuſtinere, Præſul Reuerendiſsime, cùm præſertim ego, qui neq́ue præſtanti ingenio, neq́; collectâ ex vſu frequenti orationis copiâ, vel aliquâ nominis mei famã valeã, in ſolem præſtantiſsimarũ tuarũ virtutũ venio, atq; illis non fucoſis ambitioſisq́;, ſed veris & ſynceris gratulationibus, quas integro ampliùs ſemeſtri, à quouis hominum ordine, tibi inſtitutas eſſe intellexi, vltimò haſce meas adiungo gratulationes. Scio etenim quantùm equeſtris ordo hilaritatis iam ceperit, dum te, virtutis ductu, diuiniq; impulſu numinis, ad illuſtre hoc & ſublime Archiepiſcopatus Leopolienſis faſtigium, ſuſceptum eſſe accepit, vt difficile dictu ſit, quantis gratulationibus altiſsimum tuæ dignitatis gradum celebrauerit, ampliſsimo honori applauſerit, apertâ lætitiâ animorum, & effuſis certatim ſtudiis, Senatorium munus extulerit. Hæc enim erat vox, hic ſenſus omnium, te, cùm propter cumulatiſsi-

mas animi virtutes, tùm verò propter excellentis doctrinæ laudem, atq; summi ingenij gloriam, non solùm nobilissimæ tuæ familiæ claritatem, equestri ordini splendorem, iucundissimæ patriæ decus eximium, afferre, sed etiam fidei ac religionis auitæ tutorem ac patronum esse futurum, cuius clientela, tanquam propugnaculum quoddam, atq; murus aheneus contra insidias & impetus audacissimorum hominum, Catholicæ Ecclesiæ constituta esse videretur. Auditione & illud percepi, quantâ frequentiâ, quantaq; animorum propensione ij, qui sacris præsunt, templorumq; sunt Antistites, tibi munus hoc Senatoriū fuerint comprecati. Vna enim hæc erat mens illorum, vnaq; oratio, neminem reperiri posse, tàm aptum tàmq; idoneum, qui ad clauum Archiepiscopalem, maiori reipub. bono & securitate, consideret, & cum quo communicaret curarum atq; consiliorum partem Senatus, quàm tu esses PROCHNICI; qui & propter prudentiam, quâ prouides in difficilimis rebus, posses, & propter sapientiam, quâ semper præcurrebas ætatē scires, & propter authoritatē, quâ plurimū vales apud plurimos, velles, cōsulere, tueri, gubernare, afflictissimā istâ temporum calamitate patriam. Peruenit quoq; & illud ad aures meas, quantâ lætitiâ atq; alacritate Ciuiū classes ac tribus, à tua Archiepiscopa potissimùm triumphantes, atq; effusissimè sese obuiam efferentes, faustis ac iucundis acclamationibus, tibi celsam hanc

& admi-

& admirabilem honoris laudem gratularentur. Videre mihi videbar pulcherrimum illum diem, cùm fausto pede ad illam sublimem Cathedræ maiestatem ingredereris. Deus bone, quantum attulerit gaudiũ omnibus hominibus recens tuus in Archiepiscopam ingressus, qui concursus totâ vrbe factus, quantâ tenuerit omnem ciuitatem admiratio, quàm humaniter & benignè Sacerdotum ordines, atq; cœtus sacro plenoq; pietatis ornatu venerabiles te consalutauerint, certè, non modò densissima populi frequentia, verùm etiam ipsa templa, ipsæq; aræ patefactæ te propemodùm allectare ad se, tibiq; gratulari videbantur. Toto itaq; hoc semestri, omnium ordinum alacritas, vultu, oculis, voce significata, tibi, dignisime Præsul, de amplissimo honore tuo gratulata est, tuamq; istam senatoriam dignitatem, ad memoriam & famam posteritatis insignem, auspicatissimis ominibus, votisque optatissimis cumulauit. Ego verò, qui ijs artibus ac disciplinis quæ sunt libero dignæ homine, in Academica palæstra instituor, vltimò lætitiæ voluptate videor esse delibutus, cùm post omnes ferè faustas atq; iucundas gratulantium voces, spectatissimo tuo honori gratulabundus accurro. Et quanquam nil vereor, ne mea hæc iusta atq; honesta gratulatio, tibi iucunda existat: tamen, quoniam præteruecta iam est aures tuas, omnium ordinum publica lætitia, non quòd peiore in causa verser timeo, sed quòd loco posteriore.

 Nam

Nam si Theodorus ille, princeps suæ ætatis scenicorũ adduci nunquam potuit, vt concederet primum locum in agendo alteri, qui partium etiam esset vltimarum, quòd diceret occupari auditores ab eo, qui primus exisset; quantò maior mihi fuit huiusce oneris ac muneris non deserendi, sed defungendi ratio, cùm illorum succedam gratulationi, qui non tantùm lętam, verùm etiam totam iucundam speciem atq; imaginem in oculis tuis animoq; defixerunt? Sed ego tum tenuitatem atque inopiam ingenij mei, tum etiam magnitudinem tuam considerans, concepi mente, amplissimum tuum honorem, non fucatâ aliquâ specie assentationis, aut erudito simulationis artificio, verùm breui ac simplici oratione, qualem decet esse gratulationis, adumbrare, vt agnoscas, neq; me popularem auram captare voluisse, neq; etiam aliquod fragile falsæ gloriæ choragium mihi comparare studuisse, neq; in hoc solùm ingenij exercitationem, sed etiam honoris tui studium quærere debuisse. Vnde igitur, aut ex quo capite tibi gratulari incipiã? ex quo portu vastum atq; immensum Oceanũ virtutũ tuarũ, quæ tibi amplissimum ac perennem gloriæ peperêre fontem, ingrediar? Dicamne Religionem in Deum, quæ te quasi quibusdam contemplationis alis, in altissimum honoris fastigium euexit? Dicam studium atq; amorem sapientiæ, quæ tibi domi sellam curulem, insignia, fasces, authoritatem, splendorem: apud exteras nationes, nomen & gratiam, permultaq; ornamenta

menta procreauit? dicam deniq; Humanitatem & Liberalitatem tuam, cuius radios, non in proxima tantùm loca & vicina, ſed in remota & longinqua ſpargis? Ego enim ſic ſtatuo, quatuor has præſtantiſsimas virtutes atq; admirabiles (vt omittam alias, quæ integerrimum optimumq́; exprimunt ſacrorum Antiſtitem, ſileamq́; illas, quæ eſſe poſſunt aliis exemplo, integritatem, innocentiam, benignitatem, iuſtitiam, moderationem animi, facilitatem, temperantiam, manſuetudinem, plurimaſq́; alias, quæ ſingulæ propè volumẽ ſuum, non verò orationem deſiderant) quatuor has, inquam, virtutes, fontes & tanquam reginas aliarum omnium, in eo, qui publicis ſacerdotiis præeſt, ineſſe oportere, Religionem, Curam paſtoriciam, Sapientiam, Humanitatem. Atq; quemadmodùm illi, qui ædificium benè & ratione extruere elaborant, à fundamento, tanquam à primo & firmiſsimo principio exordium capiunt; ſic ego, qui per laudum tuarum ampla ſpatia atque veſtigia, quaſi quodammodò per florentia prata, amæniſsimoſq; hortos læto paſſu incedere, tuaq́; egregia facta, non aſſentatoriè & ſimulatè, ſed verè & candidè conſectari contendo, ab origine & velut ſuſtentamento virtutum omnium Religione exordiar. Quid enim mirabilius & magnificentius illâ poteſt inueniri, quæ non tantùm tutatur Principes atque reges, ſed etiam imperia & regna, & dominationes maximo omnium re-

rum cumulo exornat & amplificat? Quid illâ diuinius, quæ salutis nostræ parentẽ, & authorẽ Deum in humanũ genus proniorẽ atq; benigniorem efficit? quid præstantius atq; excellentius, quæ hominum inter se societatẽ & coniunctionẽ, rerum publicarum salutem, legum integritatẽ, virtutum denique omniũ inuiolatã consociationẽ custodit & conseruat? Neque verò immeritò veteres illi, maioresque nostri fontem iustitiæ, societatis fundamentum & vinculum, reique publicæ columen in Pietate situm esse voluerunt: optimè enim illis exploratum fuit, nullam rationem præstantiorem esse, quæ efficaciùs æquitatem regeret, ritus sacrorum sanciret, cultumque Dei optimum, eundemque castissimum atque sanctissimum retineret, quàm virtutum reginam omnium Religionem, quâ sublatâ, neque reges, neque imperatores, munera sua atque officia pro dignitate suscipere & exequi, neque ij, qui in eorum ditione atque potestate sunt deferre ac persoluere possent. quid? vniuersa rerumpublicarum salus, atque adeò omnis societas, communitasque humani generis fluctuaret, ac de suo statu & vigore temerè iactaretur: siquidem, & Fides, & excellentissima illa virtus Iustitia, omnesque artes administræ & comites virtutum, pietate expulsâ atque exterminatâ, procul omni dubio exularent, frausq; & fallaciæ, licentia & audacia, proteruitas & deprauatio, atque, vt vno fasce colligam omnia, ma-

gna confuſio hominum, ac infinita rerum omnium perturbatio dominaretur. Quippè, vt in cantu & fidibus bona compoſitio, etiam bonam harmoniam efficit, quòd ſi vna chorda rumpatur, totus ſubitò concentus diſſonat: ſic etiam extinctâ atq; extirpatâ præcipuâ hac virtute Religione, cæteræ corruant neceſſe eſt, dum hac vnâ deficiente, omnes res atq; etiam ſacrum opus perfectione integritateque ſuâ exuitur. Eſt ergo animi medicina Religio, conſeruatrix virtutum, expultrix vitiorum, ſinè qua non modò reſpublica, ſed omninò hominum vita nequaquam eſſe potuiſſet. Hæc nos primùm ad diuinum cultum, deinde ad illud donum DEI, vt Plato aiebat, hoc eſt, Philoſophiam, tum ad modeſtiam ac clementiam, purè & integrè erudiuit, eademque ab animo, tanquam ab oculis cæcam caliginem, cimmeriaſque, vt aiunt, tenebras diſpulit, vt ſupera, infera, prima, vltima, media, videremus. Eſt verò non dico ſtolidus atq; amẽs, ſed impius & improbus, qui cùm à maioribus multa ſalutariter dicta de ea virtute acceperit, non faciat facilè animi coniecturam, & intelligat, diligenter ſibi & ſanctè eam eſſe colendam atq; retinendam, à cuius ſplendore ac lumine, non ſecus, atq; ab vno illo ſole reliquorum moderatore ſiderum, omnis lux, omne decus, omnis ornatus deriuatur, tum in iuſtitiam, tum in ſplendidas illas artes, quæ inſtruere animos hominum atq; perficere dicuntur. Quare quantò quiſ-

piam eſt maior dignitate, altior honore, illuſtrior nomine, tantò plura benefico illi numini referre conſueuit, quippè cùm mortalium genus omnia naturæ & fortunæ bona ab eo, tanquã à largifluo perenniq; fonte vberrimè profluxa acceperit. Scitè hoc equidẽ, & veriſsimè omnis Philoſophicæ veritatis numẽ, atq; ſuæ ætatis facilè Princeps Ariſtoteles ſcribens ad ſuum Regem expreſsit: dicam id græcè, quo dicam melius: Ἀρχαῖος μὲν λόγος καὶ πάτριός ἐςι πᾶσιν ἀνθρώποις, ὡς κατὰ θεοῦ τὰ πάντα, καὶ διὰ θεοῦ ἡμῖν συνέςηκεν: *Vetus* inquit, *& à maioribus acceptus hominibus ſermo, quod omnia à* D E O *& per Deum ſunt nobis conſtituta.* Enimuerò qui hac bonâ & verâ opinione animum mentemque imbuerit, quomodò Pietatem erga illud numen, cuius imperio atque nutu ſola terrarum gubernantur, non habebit? quomodo pleniſsimo religionis cultu, puraq; & integrâ, atque incorruptâ mente & voce mundi molitorem & effectorem D E V M non venerabitur? Equidem nulla res adeò animos erga cæleſte numen componit, quàm Religio, & cui illa in pectus demiſſa fuerit, omnium virtutum agmen ſequitur, ac primùm facilitas quædam animi & tranquillitas, quæ manſuefactos atque excultos mores exprimit & efficit. Quid quòd & Felicitas rerum benè gerendarum ad eximiam Pietatis virtutem adiũgitur? ab omni æuo id obſeruatum eſt, Deum qui ſe ſanctè & religioſè venerantur & colunt, attollere, piiſque & ſummâ religione præditis viris proſpera plu-

rimùm euenisse. Itaque vt plura non dicam, neque multorum exemplis confirmem, quantùm eius vis & virtus etiam in veteri illa & superstitiosa Religione valuerit, suique cultores munerauerit, veterum & priscorum, vt aiunt, virorum exempla testantur: quòd si imaginem & speciem Deus in illa honestauit & locupletauit, quid in hac quæ ab omni contaminatâ superstitione est longè aliena, faciet? Philippus sanè Macedo, qui etsi tenuis eà tempestate viribus, neq; adhuc inclytus nomine esset: tamen gradum ad illa vtraque facilè fecit à religionis tutela. Cum enim Phocenses in Græcia Delphico templo præessent, belloque implicitì, thesauros eius DEI veteres & fama celebres tangere, fanaque atque delubra ausi euertere, quid nisi spoliare ac depeculari? ea res in odio & execratione omnium cum esset, solus Philippus non iram, sed vindictam etiam, & arma sumpsit, suosque lauru coronari iussit, atque ita velut Deo duce, omnes temeratæ fidei & religionis hostes in fugã dissipatos, prostrauit, profudit, occidit: nec multùm pòst opes & regnum obscurum atq; modicum apertissimum validissimumq; Europæ efficit. Quid? C. Fabius Dorso, nonne memorabile seruatæ religionis exemplum expresit? Nam Gallis Capitolium obsidentibus, ne statutum Fabiæ gentis sacrificium in illa perturbatione interrumperetur, Gabino cultu cinctus, manibus humerisq; sacra ferens, per medias hostium stationes in Qui-

rinalem collem, vbi omnibus ſolenni ritu peractis, in Capitolium poſt diuinam venerationem, tanquam victor victricium armorum rediit. Et quiſquam dubitare poterit, quid verà religione profecturi ſimus, cùm tantùm illi vanà & ſuperſtitioſà profecerint? aut quàm facilè & proſperè publicæ res adminiſtrarentur, cum ipſa ſpecie ac vmbrâ pietatis regerentur? Sed quid ego vetera conquiram, cùm mihi liceat vti Polonis exemplis atq; claris? Quid noſter ille pientiſsimus Rex BOLESLAVS CHRABRI? quàm maximas res ac propè diuinas religione ſuffragante eſt conſecutus? quis unquam habenas Sarmatici imperii feliciùs, gubernacula reipub. glorioſiùs adminiſtrauit? Solemus ſæpè ante oculos ponere, maximeq; admirari, Romanorum imperatorum, exterarum gentium, potentiſsimorum populorum, atq; clariſsimorum regum res geſtas; huius verò Regis, de quo dicimus, ecquis vnquam virtutes & facinora in rebus bellicis ſatis demirabitur? Sæpiùs enim cum hoſte conflixit, quàm quiſquam cum inimico concertauit, plurà bella geſsit, quàm cæteri legerunt, plures prouincias confecit, quam alii concupiuerunt. ille Boëmos & Morauos debellauit, ille ad Ruſsicum bellum profectus Iaromirum tribus præliis victor ſuperauit penitusq; deleuit, ille Saxonibus bellum intulit, in qua expeditione Meideburgum, Miſnam, & alia inſignia oppida euertit, ille Slauos in fidē recepit, ille regiones à Slauis adusq;

Albim

Albim & Sallam fluuios, & Chersonesum Cymbricam quæ nunc Dania seu Dacia est, magna celeritate in suam potestatem redegit. Testis est Kiouia insignis ea tẽpestate vrbs, quæ plurimos hostes ab hoc superatos prostratosq; conspexit. testis Bogus ille fluuius sanguine cæsorum à Polonis equitibus fuso redundans. testis, vt alia missa faciam, Iaroslaus ille tyrannus & parricida, dux & antesignanus Russorum, quem fugientem prosecutus CHROBRI in paludes impulit. At quibus auspiciis & ductu tàm longè lateq; Poloniæ fines propagauit? Nonne religionis? religionis, inquam, cui tantum studium atq; cura, non solùm obseruandæ, sed etiam amplificandæ fuit, vt cùm ab Italicâ natione cum diademate repetito rediisset, permagnoq; atq; splendido comitatu Sarcophagum Diui ADALBERTI martyris inuisisset, incredibile est, quantâ liberalitate & munificentiâ plusquàm regali Basilicam illam à MECISLAO Rege pientissimo erectam, exceperit, auxerit, locupletârit. Verumenimuerò vt ad te, Antistes dignissime, orationem meam conferam, non ignorasti tu, quos fructus & præmia vberrima, sacrarium omnis sanctitatis religio, omnium virtutum fons & origo, à qua illæ vitã & spiritũ accipiunt, adferat, ideóq; in ea excellere gloriosũ sæpè duxisti, eamq; tantâ curâ, tanto studio, tantâ diligentiâ coluisti atq; tractasti, vt ab eius præscripto, ne latum quidem, vt aiunt, vnguem discederes. Nam quis hoc

ignorat, Catholicam semper à te seruatam (seruatam dico?) imò verò etiam defensam, & pro tua virili parte ornatam Religionem ac Fidem? cùm tamen non deessent in illà tuá Diœcesi homines schismatici, qui omni machinatione admirabilem tuam sedulitatem, maximamq; in propaganda religione curam & sollicitudinem, irritam infectamq; facere conarentur? Itaq; propiora videamus. Hîc veró mihi quàm multa occurrunt? quàm maxima? quot conturbant in hac ipsa in qua versamur orationis parte dicentem? cùm & videã plurima esse omittenda, & vnumquodq; quod occurrit, præcerpendum potiùs atq; attingendum ob constantem omnium famam esse videatur? Multi iam sunt anni, cùm sacris es initiatus, atq; in collegium Canonicorum Cracouiensium cooptatus, tum ob heroicas tuas virtutes, & egregia in rempub. promerita, Episcopus Camenecensis, maximà animorum consensione atq; alacritate, grauissimoq; Pavli V. Pontificis Maximi iudicio comprobatus, ex quo tempore, qùam sæpè qùam religiosè, qùam sanctè rem diuinã administrabas? quanta pietate cæleste numen venerabâre? totâ mente mentẽ & voluntatẽ eius consulebas? sacras verò quotidianas precationes, quã sedulò & diligenter obibas? vt te asiduè ad sanctorum & Christi exempla limabas? quàm sollicitè in te requirebas, quàm attentè considerabas, ne quid aut faceres, aut diceres, quod aut reprehensum aut reuo-

catũ velles? Agè verò, cùm ſolida veraq; Religio eſſe nequeat, vbi nõ ſunt charitatis officia, tu ſanè, quanto ſtudio & diligentiâ hæc munera effeciſti? Namq; ſubleuare egentes in rebus externis, ſolari afflictos, docere ignaros, dirigere errantes, corrigere delinquentes, nunc contra hoſtes Eccleſiæ certamen inire, dimicationem ſuſcipere, ac doctrinam cælitùs traditam animoſè tueri atq; propagare, hæc tu quàm facilè, quã ſtudioſè executus es? Quid illud? quid? humanũ ſæpè duxiſti conſulere ciuitatũ vtilitati atq; ornamento, refugium dare vitam pluribus, & nouam quaſi conſtituere fortunam, arcere mortem, vitam prorogare: illud certè quod in te ſummum eſt, proſpicere animorum incolumitati, Chriſtum inſerere in hominum pectoribus, afferre lucem, expellere tenebras, Apoſtolicum tantum appellare poſſumus atq; diuinum. Neq; verò eſt hæc vt probem: ita enim longè progrediendum eſſet. teſtantur id, aut clamant magis tacito quodam præconio eximia tua facta & res, ſanctiſsimamq; animi tui erga Deum religionem & ſtudium, templa atq; aræ, quas tu nudas & egenas omnis generis ſuppellectili & nouis cenſibus ornaſti, auxiſti, locupletaſti. Equidem creſcit mihi rerum copia atq; flumen orationis, cum de tua pietate verba facio, Præſul Reuerendiſsime, & quò progredior magis, eò in immenſiorem me, & ampliorem quaſi campum laudum tuarum inuehi ſentio. Quanquam video, hæc á me dum dicuntur,

tur, imminui potiùs, quàm non dico exornari, ſed explicari oratione, vt ſatiùs videatur vti ſilentio. Sic etenim ſe res habet. Res paruæ & humiles faciliùs dicuntur ab oratoribus, quàm maximæ & ſublimes, quòd illæ abundanti & quadam incredibili varietate rerum & copiá augeri atq; diduci queunt, maximarum autem talis eſt ratio, vt quoniam neq; tantæ complecti poſſunt orando, quantæ ſunt, attenuantur potiùs atq; imminuuntur, tutiùs futurum eas ſilentio præterire, vt mens ipſa earum ſibi magnitudinem depingat cogitatione. Itaq; venio ad illam tuam virtutem, qua boni paſtoris perfectam formam atq; imaginem vitâ & moribus, ſtudiis & officiis repræſentaſti. Deus immortalis, quot mihi ſe offerunt hîc templa, quæ tu collapſa & ſquallore obſita in integrum reſtituiſti atq; illuſtraſti? Quot Presbyterorum examina, quæ tu ad religionem conſecrabas? quot tyronum ordines atque exercitus, quos tu baltheo ſacræ militiæ aſtringebas, in vineamq; Domini ad operandum mittebas? Tu oues Chriſti ſanguine recuperatas, contra rapaces atq; infeſtantes lupos, qui ſtabulis ſacri gregis aſsiduè inſidiantur, aditumque ſcrutantur, ſanâ doctriná obarmaſti, tu eas in ſaluberrimis pratis, & omnium virtutum vernantibus floribus pauiſti, ac ne mala vicini pecoris contagia læderent prouidiſti, tu palantes requirebas, dilapſas fulciebas, ægras fouebas, torpentes exitabas, exanimatas reficiebas. Quid autem ad fa-

mam

mam & memoriam diuturnam hominum insignius, & ad gloriam Dei præpotentis propagandam illustrius? Quòd cùm illa tua Diæcesis plena esset Schismaticis, quî se ab unione coniunctioneq; Ecclesiæ Romanæ distraxerunt, tu eam gentem pertinacissimam toto tui præsulatus tempore ad dulcissimum matris sinum atq; gremium reducere conatus es, quodq; vt efficere faciliùs ac præstare posses, omnia tibi facienda, omnes adhibendas machinas, nihilq; intentatum relinquendum esse duxisti. O rem magnitudine incredibilem, vitio temporum inusitatam, superiore memoriâ inauditam, dignissimam tanto Præsule, & eius quodammodò propriam, omnium gentium linguis, monimentisq; annalium atq; literarum consecrandam. Ego enim sic statuo nullam fore tam surdam posteritatem, tam ingratam famam, quæ tuam istam pastoralem curam & diligentiam, in cælum debitis laudibus non efferat, & dum PROCHNICIORVM nobilissima familia atq; genus, dum Episcopæ Camenecensis nomen extabit, ANDREÆ PROCHNICII Archiepiscopi incredibile studium, admirabilis feruor, miranda sedulitas in defungendo munere pastoricio nominabitur. præcesserit veró deflagratio cæli atque terrarum, quàm extinguatur tam insignium facinorum memoria, aut obliuione deleatur. Quoniam de Religione & Cura pastorali, immortalibus dignitatis atq; nominis tui ornamentis,

 dixi,

dixi, nunc de tua insigni sapientia, pauca & timidè dicam. Etenim quæ tanta potest existere ubertas ingenij, quæ tanta facultas orationis & grauitas, quod tam aureum & incredibile verborum & sententiarum flumen, quô quisquam possit tuam omnium opinione præclaram, diuino iudicio immortalitate dignam Sapientiam, productè & fidenter, non dicam exornare orando, sed percensere numerando? Nam tu posteà quàm acre ingenium á natura, & velox, & acutum, accepisses, non, vt solent viri nobiles, primoribus labris degustaueras & attigeras, sed diligentissimorum Philosophorum more, omnem eorum scientiam atq; artem tam reconditam, tam subtilem, tam multiplicem, ita celeriter animo arripuisti, ita mente comprehendisti, ita memoriâ sepsisti, ac si cuncta reminiscentiâ quadam recognosceres, nihilque haberes discendum tempore docendi. Testantur id permulti viri sapientissimi, quibuscum tu ab ineunte ætate sæpè de rebus obscurissimis ac difficillimis audire scientissimos & nulla in re rudes viros consueuisti. testatur bibliotheca tua refertissima libris optimis, & illa, illa, inquam, lucerna socia lucubrationum tuarum & particeps, libri denique ipsi, quos tuis manibus frequenter triuisti. Sensisti profectò cum illo Archytâ Pythagoreo, sapientiam esse cognitionem numinis, rerumq; diuinarum, ac prudentiam humanarum rerum, atque eorum, quæ ad vitam benè sanctèque instituendam refe-

referuntur. Itaque cúm alii voluptatibus corporum irretiti, multarum ac mirabilium rerum ſcientiam & cognitionem neglexiſſent, tu iucunditate quadam illius perfuſus, incredibili ardore omniq; ingenii animiq; contentione ad eam flagrabas: illi conuiuiorum munificentiâ atq; ludorum ſpectaculis ſeſe oblectabant, tu diſciplinis ſcientiiſq; honeſtiſsimis perdiſcendis animum ſatiabas atque explebas: tu abditus tectis defixis oculis aut ſedens optimorum doctiſsimorumq; authorum libris intentus doctrinam hauriebas, illi otio hebeſcentes, delitiis liqueſcentes, caducarum rerum affluentes blandimentis & lenociniis, vix minimam partem ſcientiæ cognoſcebant: tu elucubrans magis atque magis vires animi contendebas ad ea percipienda, quæ velles, illi immoderato victu obruti, ſummoque ſomno oppreſsi ſtertebant. Quare quantùm hiſce ſtudiorum ac diſciplinarum facultatibus præſtiteris, non ſolùm id vniuerſa Sarmatia, verúm etiam maxima pars Italiæ teſtificatur. Quid enim Polona Reſpub. de tua præſtanti ſapientià opinatur, quâ tu utilitati atque ornamento eius ſæpè prouidiſti? Quid Rex? quid Curia? quæ cùm grauiſsimis de rebus aliquando conſultaſſet, ab illa ſententiam expetiuit? quid Podolia, quam infeſtam Valachorum atque Scytharũ excurſionibus, non terrore belli, neq; auxiliariis copiis, ſed celeritate conſilii toties á metu explicaſti? quid illud totius Italiæ lumen Nea-

polis, in qua ſapientiæ, induſtriæ atque integritatis tuæ præclara dogmata reliquiſti? quid iterum & ſæpiùs opinatur de te potentiſsimus Rex SIGISMVNDVS, cuius tu ac Reipub. nomine, ſumptuoſam atque laborioſam legationem Neapolim urbem illam & natura, & ſitu, & vetuſtate originis, omnique doctrina liberali atque urbanitate imprimis nobilem ſuſcepiſti? quamque ita geſsiſti, vt ſummâ fide & prudentiâ mandata Regis expoſueris, incredibili dicendi copiâ atq; grauitate ſapientiſsimos ciues tenueris, & in te omnium ora atque propenſos animos conuerteris, & egregiam animorum voluntatem erga Regem vniuerſamque Poloniam excitâris atque inflammâris: neque verò hæc in priuatam laudem atque gloriam deriuari, ſed omnia ad ornamentum, honorem, ac ſplendorem chariſsimæ patriæ tuæ referri atque conuerti volueris. Memorare hîc vos poſſem in præſentiâ viros Academicos, omni genere ſcientiarum perfectiſsimos, quorum conſuetudine atque familiaritate, conſilio ac ſapientiâ PROCHNICIVS fruebatur, vt neque gratius aut iucundius quidquam haberet, quàm cum doctiſsimis viris aſsiduè conuerſari, ſuaſque cum illis curas & negotia partiri. poſſem exponere quanto omnes ſtudio & amore erga illum incenderemini, cúm eius prudentiam in agendo, grauitatem & facundiam in dicendo, induſtriam & celeritatem in conficiendo experiremini. Quin etiam quàm grauibus vos ille

verbis

verbis, cives amplissimi, quàm sapientibus sententiis detineret, vt illum non sicut aliquem è Poloniâ missum, sed de cœlo delapsum intueremini. Verum hæc omnia, quæ ornatissimè diu, & iucundissimè dici possent, prætermittam: libenter hanc tantam laudum Præsulis faciam iacturam, ne fortè assentandi suspicionem videar incurrere. Itaque vestram hîc ego Neapolitani (nam & apud vos illius ingenii, industriæ, ac prudentiæ specimen eluxit) sed tamen vestram ego hîc viri ornatissimi, imploro & authoritatem & fidem: nonne cùm PROCHNICIVM sapientiâ prouidentem, authoritate grauem, pietate præstantem, maximo rerum usu pollentem, omnibusq; animi, naturæ, fortunæq; præsidiis mirificè instructum videbatis; cum eius vocem, maturumq; in grauissima legatione iudicium atq; industriam audiebatis, Mercurij vobis filium, aut ipsum potiùs Mercurium uidere & audire videbamini? Et fuerunt sanè aliqui, qui excellenti eius atq; admirabili in obeundo legationis munere gloriæ, quæ ita se efferrebat, vt aliquorum claritati atq; splendori officeret, vel detraherent occultè, vel inuiderent apertè. nàscentis enim gloriæ comes fuit semper inuidia, vt solis umbra. quæ tamen tua gloria progressione usa incredibili; vt Sol, cùm imminet hominis vertici, aut penitùs tollit umbram, aut minimam efficit, sic ipsa, cùm peruenisset ad summum, inuidiam planè omnem extinxit.

Agè porrò Humanitati tuæ atq; Liberalitati quæ potest par oratio inueniri? Et quisquam est cui hæc recondita, inuisa, noua, atq; inaudita uidentur? nisi hoc nouum & insolitum quis existimet, te propter naturam singularem, doctrinâ excellenti & morum mansuetudine mirificè attemperatam, omnibus esse longè charissimum, summis, medijs, infimis, imò ignotis atq; externis. Quis enim politissimam tuam humanitatem non agnouit, aut facilitatem non est osculatus? Quod genus officij erga Religiosas familias, Deo dicatas virgines prætermisisti? quod insignis beneuolentiæ argumentum ministris Ecclesiæ non exhibuisti? Eccui unquam egeno òpem, afflicto solatium, non tulisti? cui pupillo, aduenæ, militi, qui ad te conueniendi, inuisendi, & consulendi gratiâ confluebant, domum, aures, arcam deniq; ipsam patere noluisti? Magna profectò mihi esset memorandi copia, quæ à te humano an heroico more facta sunt, uerùm vt dixi, non obscura hæc esse, non noua, non inaudita: ideò nequaquã permittam longiùs hac in parte meam vagari orationem. O si posset nunc præstantissima Italicarum urbium Neapolis, per naturam è suis sedibus in occursum tuum prodire, & tuas diuinas actiones numerando percensere, quæ admiranda spectaremus, quas gratias illius, pro im̃ortalibus tuis in suos ciues beneficijs audiremus! Quem enim tu calamitate oppressum, ea quæ ad victum pertinent atq; cultum corrogantem, vacuis à tuo

conspectu

conſpectu triſtē abire iuſsiſti? ſenſerunt egregiam animi tui utilitatem Cives nobiliſsimi, experti & liberalitatem viri doctiſsimi, quos tu ampliſsimis donis cumulaſti. Quid illa tua, quam in ſummo tui deſiderio reliquiſti, Epiſcopa Camenecenſis, cuius Eccleſias egenas & tenues illuſtribus & ad ſplendorem domus Domini memorabilibus rebus illuſtraſti atq; exornaſti? præ dolore certè quod illi abreptus ſis nihil poteſt loqui. Te prædicant inopes educatorem ſuum, ingenui adoleſcentes, quos tu liberali impenſâ optimis diſciplinis imbuendos curas, Mecænatem appellant, te clerus patrem & patronum, nobilitas tutorem, plebs altorem nominat. Non eſt mei ingenij, in quo eloquentiſsimi quiq; exterorum primas partes quærunt, commemorare, quàm præclara immortalitatis tuæ principia ieceris, & quàm multorum antiquorum gloriam in certamen euocaueris dum eſſes in Belgio, quod tamen dum breuiter commemoro, refice quæſo, Ampliſsime Præſul, tuum animum, redintegra iucundam memoriam tuorum benefactorum, ſtudium illud tuum erga doctiſsimum virum renoua. at quem & quantum virum? IVSTVM LIPSIVM præclarum in græcis, nobilem in latinis literis, & ut ſine inuidiâ dicam Phœnicem eruditorum noſtri ſæculi hominum; hunc non ſatis erat uiuum in delicatiori quadam beneuolentiæ ſinu fouiſſe, niſi mortui virtutem, & ſarcophago magnificè extructo, & arâ Deiparæ Virginis illi proximâ

ximâ regio ferè sumptu decoratâ honorasses. O admirabilem humanitatem, mirabiliorem liberalitatem, ô constantem in amandis doctissimorum virorum ingenijs voluntatem & studium. Etiamne IVSTE Lipsi, liberalissimi Præsulis in te beneficentia unâ tecum mori atq; extingui non potuit? etiamne insignis tua sapientia post funera optimorum patronorum bonitate splendescet? Equidem nihil est amabilius virtute, nihil præstantius sapientiâ, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum, quippè, cum propter virtutem ac sapientiam, eos etiam quos viuos amicè dileximus, mortuos quodammodò diligamus. Quare cùm tanto virtutum splendore fulgeas, PROCHNICI Præsul Amplissime, conscende iam faustis ominibus in celsiorem honoris Ecclesiastici gradum, egredere ex illa angusta & clariori præstantissimarum actionum tuarum sole, superatâ regione, atq; in amplissimam Leopoliensem terram concede, vbi illustrissimos pietatis radios, iucundissimos bonitatis igniculos, efficacissimos charitatis influxus, in generosas oues, seiunctos arietes, ferocientës capros, effundas, proiicias, instilles. Non est tibi nouum aut insolitum pasturæ officium, non cathedram ducis te minùs dignam, non magis infulam pretiosis lapillis, quàm pectus prudentiâ, dexteritate, constantiâ, & rerum optimarum cognitione refertissimum geris. Quis ergo verebitur ne tyro inexpertus, aut peregrinus,

nus, vel hoſpes aliquis in nouam dignitatis lucem, principis Ruſſorum vrbis venias? Imò verò omnes paſsim conclamant, ſplendidius iam in te animi & iudicii lumen aſſurgere atque eniteſcere, ad religionem propagandam, libertatem Eccleſiæ tuendam, & illam primam Regum Poloniæ vel vnius Caſimiri Regis voluntatem ſanctiſsimumq; ſtudium & curam inſtaurandam, qui ſchiſmata funditùs è partibus Ruſsiacis tot ante annos ſatagebat eruere & euellere, illóque omnes ſuos conatus non dubitauit conuertere, illam, inquam, ſanctiſsimam atq; laudatiſsimam Regum Polonorum voluntatem inſtaurabis, vel pulcherrimè à prædeceſſoribus tuis cæptam, glorioſiſsimè perficies, Hæreſumq; monſtra acriori ſtudio atq; induſtria profligabis. Noſti enim audaciam coërcere, iniquitatem comprimere, libidines extinguere, cupiditateſq; maleuolentiſsimas refrænare. Iſte verò ſplendidiſsimæ dignitatis & maieſtatis tuæ fulgor quoties in interiores mentis receſſus ſeſe collegerit, toties gaude tuo iſto tam excellenti bono, & fruere hac ſublimi felicitate cum fortunâ & gloriâ, tum etiam naturâ & moribus tuis, ex quo quidẽ maximus te fructus, iucunditaſque, atq; immortalitas conſequetur in illo ſempiterno æuo, vbi fidelis cura, & prompta in oues Chriſti beneuolẽtia liberaliſsimè refunditur, remuneratur. Hanc igitur reliquam partem, hunc poſtremum actum, vt facis, abſolue, Eccleſiam Dei, Rempub. Chriſtianam,

Religionem, patriam, omniaq; bona, sed & nostram Academiam, bonorum ingeniorum parentem, optimarum virtutum nutricem, omnisq; liberalis doctrinæ Magistram, ornes, serues, tuearis, iisq; inprimis compositis, summâ tranquillitate & otio, cum sempiternâ laude, immortaliq; nominis tui gloria perfruâre.